

virtute obedientie'; sed 'in virtute obedientie'<sup>a</sup> data fuit tempore aliquorum Romanorum pontificum sine lectione et tempore aliquorum cum lectione. — Dentur, sed illa 'in virtute obedientie' legatur<sup>b</sup>.

77. (38) Item dantur similiter pro leprosis, quod recipiantur in fratres et socios. — Dentur ut in proxima superiori.

78. (39) Item scribitur pro eiectis et fugitivis presidentibus<sup>c</sup> capitulo generali sui ordinis, si ordo ipse habeat presidentes; alioquin scribitur diocesanis, quod faciant statutum Gregorii circa tales observari. — Dentur.

79. (40) Item confirmantur in forma communi beneficia ecclesiastica dicentibus ea se esse canonice assecutos et pacifice possidere. — Dentur, sed servetur, quod dictum est in cedula de litteris super confirmatione sententiarum in forma communi dandis.

80. (41) Item 'Sicut provide' confirmantur in communi forma statuta et ordinationes, que fiunt per capitula abbates conventus et alias personas ecclesiasticas. — Dentur, sed servetur, quod dictum est supra in proxima<sup>d</sup>.

81. (42) Similiter confirmatur in forma communi certus numerus canonicorum et monialium institutus de consensu diocesani. — Dentur<sup>e</sup>.

82. (77) Item scribitur diocesano pro<sup>f</sup> illis, qui intrant ordinem aliquem et non facta professione exeunt infra annum, quod, nisi per religionis habitum, qui dari consuevit profitentibus, vel professionem expressam evidenter appareat, quod absolute voluerint vitam mutare, denuncient eos ad regularem observantiam non teneri. — Legatur.

83. (78) Item conservatoria privilegiorum contra indulta. — Legatur.

84. (79) Item contra raptos et predones datur per vicecancellarium, sed per notarios dari debet<sup>g</sup>. — Dentur exemptis sine lectione, sed pro aliis legantur.

---

a) 'sed in virtute obedientie' fehlt C D.    b) 'dentur sed' fehlt D, 'dentur pro' C 3; 'illa — legatur' in D irrtümlich als Rubrik behandelt.  
c) 'precedentibus' B 2.    d) Die Resolution nach n. 79 gestellt C 3.  
e) Fehlt B 2.    f) 'quod' D.    g) 'datur — debet' fehlt B C.